



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Prosæ Tomus ...**

**Conti, Giovanni Battista**

**Rom, 1704**

Prosa XII. In Sacra Sanctorum omnium solemnitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69458)



ristantæ autumnum mecum, uti opinor Auditores, cognovistis. Reliquum id modò unum videtur, ut quoniam sub patrocinate ejus arboris umbra vos Ptolomæi Bernardi Cives, nos Ptolomæi Collegii adolescentes contegimur, non desides clientuli non inertes, & planè supini oscitanter sub arbore ipsa otiemur, sed tantam, ac tam multiplicem ipsius arboris frugem non sine aliqua nostrorum fruge animorum seduli meditemur, strenuiq; imitemur.

PROSA DUODECIMA

*In Sacra Sanctorum omnium solemnitate.*

ORATIO. \*

*Habita in Sacello Pontificio ad Alexandrum VIII.*



**T**riumphantis, quæ sursum est, Ecclesiæ decus numerosum, & pompâ omnino universam per hunc Divorum omnium ritè memorem diem, uno velut prospectu nobis contemplan-

F 4

plan-

---

\* *Hæc Orat. dicta fuit à quodam Collegii Germanico Hungarici Alumno.*



plendam proponi nemo non dixerit ;  
 Beatissimè Pater . At idem mihi dies in  
 præsentia quidam etiam Ecclesiæ mili-  
 tantis triumphus non immeritò videat-  
 ur : ob oculos quippe mentis nostræ  
 eas nobiscopias exponit totas, quibus  
 mysticam hanc plusquam Salomonis  
 structuram structor ipse suus plusquam  
 Salomon Christus circumvallatam vo-  
 luit ad subsidium , & splendorem .

Illam, quæso, Aquilam consulamus,  
 quæ vel dum luteæ humanitatis angu-  
 stiis teneretur ; adeo non tenebatur ta-  
 men, ut feliciter transvolaret humana,  
 figeretque aciem in divinis . Vidi ( in-  
 quit ) turbam magnam , quam dinu-  
 merare nemo poterat . O turbam , sed  
 Optimatum , sed Sanctorum , sed ab  
 eligente Deo electorum turbam lectis-  
 simam : ò dignitatis , ò nobilitatis æter-  
 næ vulgus haud quaquam vulgare ,  
 sed longè pulcherrimum , florentissi-  
 mum , præstantissimum . Spectare ibi  
 licet insignem eorum catervam , quos  
 Religio cultores habuit egregiè sui stu-  
 diosos ; non illi profectò cruoris largita-  
 te , ad quam deprompti maximè fue-  
 rant , in hostes fidei decertarunt , quan-  
 do



do hostibus hujusmodi vel raris, vel nullis mitiorum temporum securitas tangebatur; attamen quàm sine hoste pugnaces, quàm strenui sine bello, quàm emicuerunt sine sanguinis purpura triumphatores decori! se sibi objectavere videlicet, atque inferiorem in se ipsis hominem, ne quid tyrannicè adversus superiorem rationem auderet, nulla induciarum remissione interposita tam piè, quàm ferociter attrivere. Huc illa pertinuit diuturna jejuniorum sævitia: huc evigilatæ in afflictationibus, & gemitibus noctes: huc illa de silentii mærore, de studio contemplationis inducta macies, oculis hominum fæda, sed in conspectu Domini speciosa.

Ex catervæ hujus spectaculo obtutus ad se nostros accersit protinus Antistitum, Doctorumque Senatus præclarissimus. Ingens, ac nobile in primis ab hoc Senatu derivatum est Christianæ rei fulcimentum, & fulgor. Eorum sapientis judicii gravitas, eorum augusta sermonis potestas, & disputandi, confutandique subtilitas victrix fauces occlusit deterrimas heresum garrulita-



ti, & perfidiarum omnium temeritati  
cladem intulit, & ruinam. Eorundem  
lucubrationes luculentissimæ, qua-  
rum extat vivacior, & marmore, &  
ære quocumque perennitas, romanum  
dogma in tot, tamque procul disjun-  
ctis, diversis, & barbaris terrarum re-  
gionibus celebrarunt.

Verùm quænam illa præ aliis pluri-  
bus cohors usque adeo, & numero fre-  
quens, & nitore spectabilis? Mirum  
quantum agni cælestis instar in illa est!  
Nosco equidem: Hæ sunt, quorum  
virgineas nives nullus unquam de tar-  
tari spiramentis libavit vapor. Beatæ  
ter, & amplius nives, illibatæ nives,  
quæ ab solis æterni igne proprio sic  
splendescunt, ac seraphicè ignescunt,  
ut ad solem illum de illo igne vivant,  
vigeantque immortales. Impunè con-  
stare nives ad ignem, jamdudum per-  
vagata de Trinacrio illo vertice fama  
circumsonat vetus. Multò id verius de  
cælestis Olympi vertice veracior fama  
perhibeat, ubi divino è sole, ipsoque  
ex igne divino sua ipsis provenit virgi-  
neis nivibus æternitas, ac felicitas. Plu-  
rima quidem hisce virginitatis, ac Vir-  
ginum



ginum nivibus ex agni cælestis candore honestas affunditur, atque ex ea itidem honestate plurimum honestamenti refunditur Catholicæ Ecclesiæ, Christi Regis, & Agni sponsæ.

Ecce nihilominus parte alia statim præfulgens, ardua que supra modum nobis ad suspiciendum expromitur formosior illorum Majestas, qui ex Agni candore simul, & sanguine sibi gratiam, ac pretium geminarunt. Enimverò bellatorum exercitus est verendus idem pariter, & amandus, idem vigore ferreus, atque aureus idem decorere. In eo viros, atque heroes suos; in eo vindices, atque testes eximios; in eo plusquam masculæ virtutis Sanctissimas fæminas Romana fides ostentat. Omnes ex alea durissimæ quæstionis magnarum animarum profusione largissima evasere olim victores. En cruces, & virgas: en unguilas, gladios, & secures, eorum jam pridem supplicia, jam trophæa. Ut sanè in tot pænarum suarum sarcinis jam beatissimis, ac splendidissimis omnes ad unum gaudentes, coruscantesque profiliunt!

Hos porro, aliosque super quam-



plurimos qualem, aut quantum se infert eorum cætus, qui Christum primi magistrum, ac ducem sectati sunt! Eum percensere cætum si libet; hic Petra est, hic, atque hi sunt proinde Catholicæ molis fundamina, quæ nunc in excelso arcis supernæ fastigio supernis honoribus coronantur. Qualem tamen, aut quantum Præcursor ille adhuc sublimior infert se! qualem denique, aut quantam se infert summa agminis totius Regnatrix, grande exilitatis nostræ ornamentum, & columen Dei Parens, & Virgo! Utique multitudini tam magnæ, tam multiplici magnitudini impares animus, & lingua nostra deficiunt. Quod ergo unum utcumque valemus, Catholicæ Romanæ religioni festiva hac Cæli, cælestiumque omnium luce Militiam tantam, tanta & præsidia, & decora gratulemur. Omnium nempe illorum quondam certaminibus, nunc triumphis, meritis quondam, nunc coronis, quondam fortitudine, nunc beatitudine isthæc romana catholicorum dogmatum veritas, pietasque latè per orbem terrarum approbatur, defenditur, propagatur, honoratur.

PRO.